XLIII.

Q. D. B. V.

DE

EPIMENIDE PROPHETA,

AD

CAP. I. v. 12. EPIST. AD TITVM

NVMINE DIVINO ASSISTENTE

NEC NON

VENERANDA FACVLTATE PHILOSOPHICA

PERMITTENTE

PVBLICE

IN CELEBRI ACADEMIA ALTORFINA

AN. MDCCXIV. D. EID. MARTII

DISPVTABIT

PRAESES

M. IOH. CASPAR GOTTSCHALCK,

VRATISLAVIENSIS,


RESPONDENTE

STEPHANO LOTZIO,

ALTORFENSI.

LITERIS IOD. GVIL. KOHLESII, ACAD. TYPOGR.


WELLCOME
LIBRARY
INSTITUTE



PRAEFAMEN.

QVinquennium jam est, & quod excurrit, ex quo hic partim, partim alibi in Alma Philurea, ad pedes Gamalielum nostri temporis consedimus. Quemadmodum vero ab illo tempore partim ex modestiæ studio, partim ex imbecillitatis conscientia, ad Pythagoræorum discipulorum exemplum, alios publice privatimque docentes audire, quam intempestive loqui, maluimus: ita jam e re nostra fore duximus, tandem prodire, & aliquales ingenii vires publice periclitari, tanto excusatius facturi, quanto minus decorum est, perpetuo latere, nec unquam aliis studiorum suorum rationem reddere, audere. Non inutile tamen prorsus, nec a studiorum proposito alienum argumentum pertractandum nobis sumsisse videbimur, cum de PROPHETA *aliquo Pagano, ad cujus testimonium divus Paulus in sua ad Titum Epistola, cap. 1, v. 12, provocavit, nonnihil commentari, constituimus, ut inde etiam quodammodo constet, quemadmodum utilitas ex Paganorum scriptis sit capienda; quod argumentum jam dudum divus Antistes, Basilius, luculenta oratione explicavit.*

DE
EPIMENIDE PROPHETA.

§. I.



QVamvis non neſciamus, dubitatum a nonnullis eſſe, quem veterum Græcorum Poetam divus Apoſtolus loco citato intellexerit: attamen, cum vulgaris ſententia, non obſcuris argumentis innixa, ad EPIMENIDEM, Poetam Cretenſem, reſpici tradat, nos ſine multis ambagibus de hoc ipſo Poeta ita agere conſtituimus, ut primum de ejus vita & eruditione quædam proponamus, & deinde, quo ſenſu idem PROPHETA dictus ſit, inquiramus.

§. II.

In patria EPIMENIDIS inveſtiganda non adeo multum deſudabimus, præſertim cum non de hac, ut olim de Homeri patria, inte-

integræ ſeptem urbes dimicaverint: Ipſe enim partim Apoſtolus eandem nobis indicat, dum eum proprium Cretenſium PROPHETAM nominat, unde non ſolum EPIMENIDEM apud Cretenſes PROPHETAM, ſed etiam patria Cretenſem fuiſſe, colligas. Partim vero unanimi ferme ſcriptorum conſenſu, Cretam EPIMENIDIS PROPHETAE patriam fuiſſe, corroboratur. Eum in finem, referente Alexandro Moro, in Notis ad quædam loca Novi Fœderis, a Proclo in Diſſertationibus ineditis Ἐπιμενίδης ὁ Κρὴς, i. e. EPIMENIDES CRETENSIS, paſſimque alibi hoc quaſi cognomento a patria petito ſalutatur.

§. III.

Moris enim fuit plerumque, inprimis Philoſophis, patriæ nomen nomini proprio adjungere, aut illo quoque ſolo homines denominare. Ita præcipue in vitis Philoſophorum, Philoſophos pene omnes, una cum adjecta ipſorum patria, e. g. Ariſtotelem *Stagiritem*, Antiſthenem *Athenienſem*, Pythagoram *Samium*, & ſic quoque noſtrum EPIMENIDEM

NIDEM a patria CRETENSEM vocatum invenies.

§. IV.

Sic igitur Creta patria fuit noſtri EPIMENIDIS, inſula in mari mediterraneo ſita, olim Ἑκατόμπολις dicta, de qua Virgilius *L. 3. Aeneid. v. 104:*

Creta Jovis magni medio jacet inſula Ponto,
Centum urbes habitant magnas &c.

Hodie vero *Candia* audit, & a montibus ejus occiduis, qui λευκὰ ὄρη, id eſt, candidi, dicuntur, nomen, teſte Strabone, ſortita dicitur. Et Plutarchus libello πῶς ἄν τις ὑπ' ἐχθρῶν ὠφελοῖτο in limine nullam ait Rempublicam ſine affectibus reperiri, cum inveniatur quædam regio ſine belluis, ὥσπερ ἱστοροῦσι τὴν κρήτην, quam dicit χώραν ἄθηρον: unde lepos forte EPIMENIDIS, Cretenſes κακὰ θηρία vocantis, originem traxit, gloriantes, apud ſe nullas feras eſſe belluas, cum ipſi peſſimæ fuerint belluæ.

§. V.

Genitores autem EPIMENIDIS quod concernit, nihil de his Viri eruditi certi definire poſſunt;

possunt ; quare & nos eosdem hic certo nominare non valemus. Vt ait Theopompus, aliique complures, teste Laertio, patrem ille habuit Phæstium, alii Dosiadem, alii Agesarcum, tradunt.

§. VI.

Istis nunc breviter quasi præmissis, jam ad eruditionem hujus nostri PROPHETAE EPIMENIDIS devenimus, quæ certe, nullo non consentiente, magna fuit atque egregia, ideo enim passim verbis a viris eruditis magnificis celebratur, ejusque sapientia in cœlum usque effertur.

§. VII.

Cum vero homines certæ utplurimum scientiæ inprimis addicti, ideoque vel a studio Theologico, Theologi ; a juris peritia, Jurisperiti ; a scientia medica, Medici ; nec minus a studio philosophico Philosophi audiant: inquirendum idcirco nobis in eruditionem EPIMENIDIS ulterius est, cui inprimis studio addictus, an Philosophus, Poeta, an PROPHETA, vel quo sensu ab Apostolo Paulo ita nominatus fuerit?

§. VIII.

§. VIII.

Nos itaque, ut confido, non errabimus, ſi in hoc noſtro EPIMENIDE PROPHETA & Philoſophiæ & Poeſeos ſtudium utramque feciſſe paginam, eundemque & inſignem partim Philoſophum, & Poetam ſimul haud incelebrem fuiſſe, dixerimus.

§. IX.

Ad ſapientiæ ſtudium quod attinet, nemo ſane Viro huic illud denegabit. Adeo enim, ut ex Plutarchi vita Solonis, nec non Diogene Laertio in vita Thaletis conſtat, de ejus ſapientia honorifice Veteres ſenſerunt, ut in numero ſeptem Græciæ Sapientum quidam rejecto Periandro, EPIMENIDEM recenſuerint. Imo quemadmodum communi alias in orbe dicterio, homines ſi non ex ſe, tamen ex aliis & ex conſuetudine cum aliis cognoſcere licet; ita pari modo hunc noſtrum EPIMENIDEM, Philoſophum ſummum, ex familiaritate ſumma cum Solone habita deprehendes. Vtpote qui Athenas veniens, teſte Laertio, Solone uſus eſt familiariter, ipſique etiam ad leges ſcribendas viam præmuniit.

§. X.

§. X.

Ex hoc ipſo ſimul cognoſcitur quodammodo ætas EPIMENIDIS; cum Solon Olymp. XLVI, 3, hoc eſt, computante Voſſio, Anno Mundi MMMCCCLVI, Athenis leges tuliſſe feratur. Et epiſtolam EPIMENIDIS recitat Laertius, quam ille ſcripſit, cum Piſiſtratus Athenis dominaretur. Jam vero Piſiſtratus Athenis tyrannidem invaſit, Olymp. LIII, 2. Aliorum autem disſenſum de ætate EPIMENIDIS, utpote propter vetuſtatem non ſatis certa, obſervavit cl. Doddvvellus, oſtenditque, aut antiquos Auctores erraſſe, aut diverſos EPIMENIDES extitiſſe, *in diſſ. de Aetate Pythag. p. 234.* Conf. & celeb. Fabric. *Bibl. Græc. L. II, c. 13.*

§. XI.

Cum vero inſignem Philoſophum fuiſſe EPIMENIDEM dixerimus; id quidem nomen apud Veteres cumprimis tam late patet, ut omnem rerum divinarum humanarumque ſcientiam complectatur. Jam quod ad EPIMENIDEM attinet, cum ille, teſte Platone, *L. III. de Legibus*, dicatur omnes ante ſe Sa-

pientes ingenio & induſtria longe ſuperaſſe facile quidem credi poſſit, ei nullam non Philophiæ partem fuiſſe cognitam: interim conſtat, ipſum ad exemplum cæterorum Virorum ſapientum, qui ea ætate floruerunt, potiorem rationem Philoſophiæ *Practicæ*, quam *Theoreticæ*, habuiſſe, adeoque majori cura in iis quæ ad vitam civilem feliciter agendam pertinent, quam in iis, quæ contemplatione continentur, verſatum fuiſſe. Huc pertinet, quod a Laertio dicatur Soloni ad ſcribendas leges viam præmuniiſſe, & quod Plutarchus in vita Solonis commemoret, eum, cum Athenas evocatus eſſet, cives juſtitiæ parentes magisque ſequaces reddidiſſe ad unitatem. Vt alia nunc teſtimonia prætereamus.

§. XII.

Si vero nec ignotum eſt, Philoſophos olim etiam tradidiſſe rerum divinarum ſcientiam & hos apud multas gentes rem ſacram adminiſtraſſe: mirum eſſe non poteſt, harum rerum laudes etiam EPIMENIDI paſſim tribui. Hinc Diodorus Siculus *L. V.* eum vocat θεολόγον. Et Plutarcho *in vita Solon.* dicitur θεοφιλὴς καὶ σοφὸ[s]

ὸς περὶ τὰ θεῖα, τὴν ἐνθουσιαστικὴν καὶ τελεστικὴν σοφίαν, i. e. *Vir religiosus & in rebus sacris sapientia praecellens fanatica & mystica.* Atque, uti Laertius refert, eum scripsisse Theogoniam aliquam, & librum de Sacrificiis, primumque domos atque agros expiasse; ita & Suidas auctor est, eundem evulgasse μυστήρια καὶ καθαρμοὺς, *Mysteria & Lustrationes*; speciatim vero Athenienses, cum peste laborarent, expiasse, passim commemoratur. Ad hoc non solum apud hos fanum verendorum Deorum condidit, iisdemque aræ ignoto Deo extruendæ auctor fuisse creditur: sed Epiphanius etiam tradidit, ipsum fuisse omnino *Sacerdotem*, ἀρχαῖον ὄντα φιλόσοφον ἢ εἴθεσι τῶν παρὰ Κρησὶν εἰδωλίου ἱερέα. Vnde sat facile locum invenit conjectura Borremansii, qui, cum ex Porphyrio narravit, in Creta olim fuisse Jovis Sacerdotes, qui animalibus abstinuerint, inter hos etiam EPIMENIDEM fuisse censuit.

§. XIII.

Poetam fuisse EPIMENIDEM nemo negaverit. Referente enim Laertio *in vita ejus*, jam a Labone Argivo, & a Demetrio Magnesio,

fio, in libros Poetarum relatus eſt: qui vero libri temporis vetuſtate perierunt. Etenim ſcripſerat EPIMENIDES Caretum & Corybantum generationem, & Theogoniam ad quinque millia verſuum. Argus quoque navis apparatum & ſtructuram, & Jaſonis in Colchon navigationem ad ſex millia & quingentos verſus. Hieronymus tradit, EPIMENIDEM etiam librum περὶ χρησμῶν, *de Oraculis*, ſcripſiſſe cujus libri quamvis nec apud Laertium, nec apud Suidam fiat mentio, poteſt eſſe, ut ille aliunde eum noverit. Ita enim plures Veterum Sapientes χρησμοὺς, ſeu Oracula carminibus conſignata, prodiiſſe perhibentur, uti apud celeberr. Fabricium *in Bibl. Græca L. 1.* de Eucloo, Lyco, Oleone, Muſæo, Orpheo, videre licet. Heroicos autem potiſſimum verſus fuiſſe, quos fuderit EPIMENIDES, ex Pauſania intelligimus, *L. 1. p. 35.* Cujus generis eſt etiam verſus ille notiſſimus, quem divus Paulus citavit

Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσαι, κακὰ θηρία, γαστέρες ἀργαί.

Cres ſemper mendax, mala beſtia, venter obeſus

Vel ſic:

Mendax, venter iners, ſemper mala beſtia

Cres eſt.

§. XIV

§. XIV.

Licet vero quidam fuerint, qui ipſum hunc ab Apoſtolo Paulo citatum verſiculum, non EPIMENIDI PROPHETAE, ſed Callimacho potius, vindicare voluerint: optime tamen ad hoc, inter alios, eruditiſſimus *Dilherrus*, in ſuis ad Eclogas N. T. Syriacas, Græcas & Latinas, obſervationibus, reſpondiſſe nobis videtur: *Falluntur*, inquit p. 458., *qui hunc verſum dicunt Callimachi eſſe, qui non Cretenſis, ſed Cyrenenſis fuit: Nec integer* (ut bene addit) *apud eundem habetur, ſed prius duntaxat hemiſtichion, in hymno de Jove, ubi Cretenſes ridet, qui apud ſe Jovem eſſe ſepultum jactabant, qui tamen, ut ait, non moritur, ſed ſemper vivit. Eſt autem EPIMENIDIS CRETENSIS, Callimacho vetuſtioris, & legebatur in libro* περὶ χρησμῶν, *i. e. de Oraculis, unde a Paulo ironice vocatur PROPHETA.*

§. XV.

De divinandi peritia, quæ inſuper paſſim tribuitur EPIMENIDI, poſtea diſſerendi dabitur occaſio. Hoc loco autem ſi quæramus, unde

ad tantas ſcientias pervenerit EPIMENIDES, duas potiſſimum rationes a priſcis Scriptoribus indicari animadverto. Primum enim nonnulli, docente Plutarcho in vita Solonis, tradiderunt, eum Baltæ Nymphæ alumnum fuiſſe. Sed ita fabuloſa ætas omnia excellentiora referebat ad auguſtiores Deorum origines & converſationem. Deinde mirabilem ejus ſomnum, in quo talis ſapientia ei obtigiſſe potuit, varii Scriptores referunt. Plinius, *L. VII. c. 52*: *Magna*, inquit, *fabuloſitate accipio de Gnosſio EPIMENIDE, puerum æſtu & itinere feſſum, in ſpecu ſeptem & quinquaginta dormiiſſe annis: rerum faciem mutationemque mirantem, velut poſtero experrectum die.* Paulo copioſius rem iſtam memoravit Diogenes Laertius: *Miſſus aliquando a Patre, ut ovem rure deferret, meridiano tempore divertit ex itinere, atque in ſpelunca quinquaginta ſeptem annos perpetuos obdormivit: dehinc ſomno excitatus, quærebat ovem; putabat enim parum ſe obdormiviſſe. Quem cum non inveniſſet, in agrum revertitur. Cum vero rerum omnium faciem immu-*

immutatam cerneret, agrumque in alterius jus cesſiſſe, ſtupore attonitus & dubius rediit in oppidum. Ibi cum domum ſuam vellet ingredi, quisnam eſſet, interrogatus, vixque agnitus a juniore fratre jam vetulo, omnem ex illo didicit rei veritatem. Quam fabuloſam de ſomno narrationem qui credunt a diuturna peregrinatione originem traxiſſe, vix mihi falli videntur. Id quod etiam ſequentibus verbis innuit Laertius: *Sunt, qui illum non obdormiiſſe, ſed ad tempus exſpatiatum, aſſeverant.* Equidem Jamblichius in Vita Pythagoræ refert EPIMENIDEM inter eos, qui juvenes audivere Pythagoram jam ſenem: at cum Apulejus, in floridis, tradat, eum fuiſſe Pythagoræ magiſtrum, vix aliquid certi definire licet.

§. XVI.

Antequam ad reliqua, de quibus potiſſimum ſuſcepta eſt Diſputatio, progrediar, mortis quoque EPIMENIDIS injicienda eſt mentio. Ait Plinius, loco citato, eum in ſeptimum & quinquageſimum atque centeſimum vitæ annum duraſſe. Quem annorum numerum

rum etiam Laertius comprobat auctoritate Phasgonis, e libro de Longævis; sed simul memorat, Cretenses tradidisse, ducentesimo quadragesimo nono; Xenophanem vero Colophonium dixisse, centesimo quinquagesimo quarto anno. Pausanias Libro IV. scriptum reliquit, Lacedæmonios, dum bellum gesserint cum Gnosiis, EPIMENIDEM vivum cepisse, ac deinde, cum eum occidissent, quod minime læta prædixerit, sublatum cadaver ante ædem Minervæ humasse. At & idem Auctor, *L. III.* annotavit, ab aliis talia, quæ narrantur, negari. Ex Hesychio autem illustri & Suida discimus, EPIMENIDIS mortui cutem *literis notatam* fuisse repertam, & ex oraculi jussu, tanquam rem miraculosam, a Lacedæmoniis religiose asservatam.

§. XVII.

Sed nunc venimus ad ea, quorsum præcipue nostræ meditationes sunt directæ. Quæritur scilicet, an EPIMENIDES noster, Philosophus atque Poeta insignis, PROPHETA etiam, ita ut eundem in frontispicio harum

nostra.

nostrarum plagularum diximus, revera fuerit, vel, qua ratione sancto nostro Apostolo Paulo non Poeta, aut Philosophus, sed disertissimis verbis ὁ προφήτης, seu PROPHETA audiat? *Propheta* vero proprie non est, nisi qui futura & hominibus incognita prædicit atque exponit ex Dei revelatione. Quod itaque ad hanc de PROPHETA EPIMENIDE quæstionem attinet, multorum Theologorum & Philologorum est opinio, PROPHETAM equidem EPIMENIDEM non fuisse, pro tali tamen a Cretensibus habitum semper, firmiterque creditum. Dumque hic Gentium Doctor Paulus eundem PROPHETAE nomine compellat, fieri id putat eruditissimus Glassius per tropum Rhetoricum, per *Metonymiam* scilicet; cum opinio hominum pro ipsa sæpe re ponatur: sive cum ipsa rei denominatio & descriptio ab externo quandoque adjuncto opinionis hominum fiat, resque sæpenumero nominetur & describatur, uti est φαινομένως, καὶ κατὰ δόξαν, non κατὰ τὸ εἶναι, καὶ ἀλήθειαν, *qualis nempe hominibus videatur esse, non, qualis sit in sua natura:* itaque EPIMENIDEM dici a Paulo *Prophetam*,

C non,

non, quod revera talis fuerit, ſed quod pro tal a Cretenſibus habitus atque creditus, eidemqu etiam, teſte Laertio, poſt mortem ſacrificatum fuerit. Vid. Glaſſius *in Philolog. Sacr. p. m. 1490* Cum qua interpretatione ferme conſentit ſu pra §. XIV. eruditiſſimi Dilherri inſperſa ſenten tia, exiſtimantis, Paulum non vere, ſed εἰρωνικῶς *Prophetæ* titulum EPIMENIDI impoſuiſſe.

§. XVIII.

Alii, cum Calvino, Cornelio a Lapide Noſtratibusque non paucis, diſtinguunt velu inter Prophetas ſtricte ſeu proprie, & late ſive improprie ſumtos: Prophetam enim a πρόφημι *prædico*, vel a προφητεύω, *præſagio*, *prænuncio*, *va ticinor*, dictum & ſtricte ſumtum, illum ajunt cui Deus per varios modos, paſſim in Scriptura ſacra, & apud Theologos obvios, peculiariter ſeſe manifeſtavit, eundemque & de futuris certo contingentibus, iisdemque infallibiliter prædi cendis, auxilio ſuo plane divino atque ſuper naturali inſtruxit. *Duo vero hæc*, ut eruditis ſimus Curcellæus loquitur, *ad Prophetam requi runtur: Primo ſingularis aliqua & eximia reve lati*

latio divina: deinde mandatum, revelationem istam aliis aperiendi, & cum aliis communicandi. Vid. Curcell. *tract. de Eccles. c. III*, §. 2. Confer. & Borremansius in elegantissimo *de Poetis & Prophetis Opere pag. 106.*

§. XIX.

Late vero vocabulum *Prophetæ* considератum hujuscemodi denotare dicunt homines, qui, equidem non peculiariter illo a Deo instructi fuerint dono, interim tamen ipsi per varia divinationum superstitiosa genera, per oracula, per consilium Pythonissarum, futurum aliquid, sæpe incertum, aliquando verum, plerumque amphibolice indagare, hominibusque patefacere, laborarunt.

§. XX.

Et inter hujus farinæ, sive ultimæ sortis *Prophetas*, omnes Paganorum Sacerdotes, Theologos & Poetas subinde etiam *Prophetas* dictos, referunt, utpote qui, præter sapientiam atque eruditionem profanam, divinum quoque aliquid affectarunt atque ambierunt, & hominibus superstitiosis ac credulis voluntatem

tem ſuperum detegere, eosque futurorum cer-
tiores reddere, contenderunt.

§. XXI.

Quæ cum ita ſint, locum ſine dubio Viri prænominati eruditi, etiam huic noſtro EPIMENIDI PROPHETAE inter Prophetas late ſeu improprie dictos, ſive inter Gentilium *vates*, *divinatores* ſeu *hariolos* concedendum eſſe autumant, præſertim cum a Laertio divinationis peritiſſimus fuiſſe dicatur, & cum tot ejus prædictiones, quarum paulo poſt mentionem faciemus, a Scriptoribus antiquis jactentur.

§. XXII.

Alii adhuc ulterius progreſſi non dubitarunt docere, Deum etiam extra cœtum diviniorem inter Paganos, aliquando Prophetas proprie ſic dictos, veraque vaticinandi facultate præditos, excitaſſe; quibus & EPIMENIDEM haud ægre annumerarint. Suntque ex iis, qui hanc tuentur ſententiam, Clemens Alexandrinus, Patresque multi, Baronius etiam, Voſſius & Montacutius, qui ultimus in *Ana-*

lectis

lectis suis, Exercitatione quarta, etiam gentes dicit habuisse suos Vates sive Prophetas, licet rariores, qui res venturas, in suis causis non deprehensas, nec a Judæorum vatibus acceptas, sed simpliciter prævisas, & a Deo revelatas, enuntiaverint. *Erant*, pergit ille, *illa quidem extra ordinem collata Prophetiæ dona, quemadmodum & vocatio nonnullorum & illuminatio specialis, quasi quædam prævia tum prædictiones atque pignora, fore, ut gentes futuris temporibus aliquando biberent de illo fonte cœlesti & æterno, & de jugi illo puteo irrigarentur, unde affatim potabant & hauriebant aquas in hæreditate constitutæ domus Jacob. Ita Balaamum, hostem Israelis perniciosissimum, Prophetam appellant Scripturæ, qui quidem inter cætera prædicebat de stella Jacob oriunda, & sceptro ex Israel suscitando.* Ita quoque e textu nostro tandem concludit, CRETENSEM EPIMENIDEM non Poetam a Paulo, *nec Philosophum, cum posset; sed PROPHETAM, appellari.*

§. XXIII.

Aristoteles equidem hunc nostrum de iis

tantum, quæ genii ope ſciri poterant, i. e. de præteritis & obſcuris, nihil autem de futuris certo eventuris, ad exemplum fere Socratis, prædixiſſe, ſeu vaticinatum eſſe, adeoque ὑποφήτην magis, quam προφήτην, qualem impius quondam Chriſti oſor, Porphyrius, Danielem dixit, hunc quoque dicendum, aſſeruit. Ita enim *L. III. c. 17. Rhet.* Ὡς ἔφη, inquit, Ἐπιμενίδης ὁ Κρὴς· ἐκεῖνος γὰρ περὶ τῶν ἐσομένων οὐκ ἐμαντεύσατο, ἀλλὰ περὶ τῶν γεγονότων, ἀδήλων δέ. i. e. *Vt dixit EPIMENIDES CRETENSIS: ille enim de futuris nunquam eſt vaticinatus, ſed de præteritis, verum obſcuris.* At huic Ariſtotelis ſententiæ ceterorum Scriptorum teſtimonia, quæ mox laudabo, evidenter refragantur.

§. XXIV.

Etenim Diogenes Laertius teſtatur, eum divinationis, quæ olim ſumma Philoſophiæ pars habebatur, fuiſſe peritiſſimum, ſiquidem cum apud Athenienſes μουνυχίαν, portum Atticæ, vidiſſet, dixerit, ignorare eos, quantarum cladium cauſa locus ille futurus eſſet; quod ſi ſcirent, dentibus illum eſſe diſcerpturos. Cui vati-

cinio

cinio tunc eventus reſpondit, cum Xerxis exercitus per eum portum Atticam invaſit, vaſtavitque. Fertur idem, Lacedæmoniis prædixiſſe captivitatem, quam paſſuri erant ab Arcadibus; item & Cretenſibus prænuntiaſſe belli exitum, quod inter Arcades & Lacedæmonios agebatur. Plato *L. I. de Republ.* vocat EPIMENIDEM ἀνέρα θεῖον, divinum virum, eumque ait Athenienſibus prædixiſſe, decennio poſt venturos Perſas, atque ubi venerint, infectis rebus, domum repetituros.

§. XXV.

Atque ſic etiam Eraſmus Schmidius, *in Notis ad Cap. I. Epiſt. ad Titum* perſuaſus fuit, EPIMENIDEM revera & fuiſſe & dici ab Apoſtolo Paulo Prophetam, quia futurorum multorum præſcius & index extiterit; profitetur vero Schmidius, ſe definire nolle, utrum hæc divinandi vis ei obtigerit ex ſagacitate aliqua naturæ & facultate divinitus ei, licet Ethnico, conceſſa; vel ex Satanæ revelatione: qua de re ſe cum nemine litigaturum eſſe ait. Maximopere autem ad ſtabiliendam ſuam ſententiam,

has

has urget rationes: 1.) quia expreſſe hoc voca-bulo προφήτης ſanctus Paulus uſus eſt: *Si enim talis*, inquit, *non fuiſſet, vel Poeta tantum ex-titiſſet, ſine dubio Apoſtolus facili negotio vocem* ποιητὴς *adhibere potuiſſet, quemadmodum Actor. XVII, v. 28. quando de Poetis Græcorum loqui-tur, uſitato eos nomine* ποιητὰς *appellare non de-trectavit*: ὡς καί τινες, *inquiens*, καθ' ὑμᾶς ποιητῶν εἰρήκασι. 2.) quia in illo πρόγνωσις futurorum, tamque multa; quæ ſupra jam dum recenſuimus, veritati ſeu eventui non fuerint contraria. 3.) quia etiam ipſo illo verſu ex libr. περὶ τῶν χρησμῶν, ſive *de Oraculis*, inſcripto, ſub hoc ipſum tem-pus, quo Paulus jam hæc ſcribebat, mores Cretenſium futuros προφήτευσε, quamvis de illo libro eruditi adhuc dubitent. 4.) quod argu-mentum forſan poſſit addi, quo ipſi demon-ſtrationi Paulinæ robur majus accedere vide-tur, convincentis ſcil. Titum atque declarantis Cretenſium perverſitatem. ἴδιος, inquit, αὐτῶν προ-φήτης, non ποιητὴς, utpote quibus una cum picto-ribus, ſecundum notiſſimum illud, quodlibet ſæpenumero & audendi & ſcribendi æqua ſem-per poteſtas conceſſa fuit: ſed προφήτης eorum,

quem

quem tanti æſtimant, tam ſancte colunt, quique tam multa jam dum illis eventura prædixit, idem ille ipſe cives ſuos, non ſuo modo, ſed quovis ſubſequuturo tempore ψεῦςας, κακὰ θηρία, γαςέρας ἀργὰς, futuros, ſignificavit.

§. XXVI.

Qui vero factum, quod ſæpenumero Prophetarum gentilium, quemadmodum etiam noſtri EPIMENIDIS, dictis eventus ſeu veritas reſponderit, id ſane multiplici ratione fieri potuiſſe, Viri docti arbitrantur. Modum hujuscemodi, quo Prophetæ ſive Vates atque Divinatores in prædicendis futuris uſi fuerint, eleganter ſatis Joh. de Mey *in Phyſiologia Sacr. p.168.* deſcribit: *Recte*, inquit, *obſervatum ab aliis, nempe quod Vatibus Delphicis aliisque Gentilium Prophetis, late ſic dictis, quaſtui fuerint hominum animi ſuperſtitione capti: Habebant*, pergit, *per totam Græciam emiſſarios, qui res & fortunas cujusque perdiſcerent, & ſic mox conſulti reſpondebant cuique convenientia. Inerant etiam dictis latebræ, poteratque eventibus interpretatio accommodari. Et mihi dubium non eſt, varias excogitatas fuiſſe artes, quibus viſi fuerint futura*

D *prædi-*

*prædicere imperſcrutabilia, quorum tamen præ-
dictio, ut eſt ab ipſis facta, facultates humanas
non ſuperavit.* M. Tullius cum diſputat, cu
jam pridem Pythii Apollinis ceſſaverint oracula
cauſam adfert minime contemnendam; quia
ſcilicet minus creduli eſſe homines cœpiſſent
quam antea, ſimiliterq; de reliquis antiquorum
Oraculis ſentiunt Viri docti. Quid vero de Divi-
nationibus Paganorum ſentiendum, & quam
variæ illorum fraudes fuerint, magno erudi-
tionis apparatu docuit ex inſtituto Cl. Dalæus
in diſſert. de Orig. Oracul.

§. XXVII.

Rurſus ſunt alii Scriptores, qui EPIME-
NIDEM non tam ob aliquam divinandi fa-
cultatem, quam ob munus ſacerdotale, cu
illum inter Cretenſes præfuiſſe, ſupra oſtendi-
mus, ab Apoſtolo PROPHETAM dictum eſſe
credunt. Jam vero idolorum miniſtros ac Sa-
cerdotes etiam PROPHETAS appellari con-
ſueviſſe, non ſolum non inſolens eſt Scripturæ
ſacræ; uti v. g. Baalitici Sacerdotes 1. Reg. XVIII
v. 19, PROPHETAE dicuntur: ſed illi etiam
apud profanos Scriptores idem nomen ſæpius

ferunt

ferunt, uti v. g. apud Plutarchum Ammonis Sacerdotes προφῆται appellantur: quam rem pluribus exemplis Borremansius, *in Libro de Poetis & Prophetis, pag. 73.* demonstravit.

§. XXVIII.

Adhæc aliis PROPHETAE nomen idem hoc loco fuit, quod nomen Poetæ, perinde ut hi Latinis *Vates* sunt dicti, ac genus θεῖον καὶ ἐνθουσιαστικὸν habiti. Sic Adimantus apud Platonem *L. II. de Republ.* Poetas Deorum filios & PROPHETAS nominavit; & Lucianus, *in Dial. de Amoribus*, Homerum τὸν μέγαν ἀληθείας προφήτην, *magnum veritatis PROPHETAM*, dixit. Etenim his etiam tribuebatur aliquis afflatus divinus, ut cum Ovidio ipsi gloriarentur:

Est Deus in nobis, & sunt commercia cœli;
Sedibus æthereis spiritus ille venit.

Poetam autem EPIMENIDEM fuisse, ex superioribus jam constat; atque fieri potuit, ut idem etiam, quæ Borremansii est conjectura, Oracula carmine reddiderit, quod olim fieri consuevisse, inprimis ex Plutarchi libro, in quo de Pythiæ Oraculis disserit, cognoscimus.

§. XXIX.

Restat alia Cl. Angli, Hammondi, interpretatio, quam etiam sequutus est Dn. PHILIPPUS OLEARIUS, optimo Græcarum Latinarumque literarum auspicio Professor Publicus haud ita pridem Lipsiæ constitutus, *in dissert. de Scriptis Profanis, a Paulo Apostolo allegatis, jam An. 1701. habita.* Ille vero *in Comment. suo ad N. T.* docet, eos apud Paganos etiam Prophetas fuisse dictos, qui homines docuerint, quæ vitæ recte agendæ rationes sint ineundæ, & quo pacto Dii irati placandi: id quod probavit quidem ex *1. Sam. VI, 1, 2.* sed malim, ut etiam ex Græco Scriptore testimonia hujus significationis attulisset. Ceterum EPIMENIDEM talem morum doctorem lustratoremque fuisse, ex supra dictis facile intelligitur, dum eum & Philosophiæ practicæ potiorem rationem habuisse, & urbes varias lustrasse atque expiasse docuimus.

§. XXX.

Hæ sunt præcipuæ, quæ nobis occurrerunt, Scriptorum sententiæ, cur EPIMENIDES PROPHETA fuerit a Paulo dictus. E quibus

quam

quam quisque velit ſequi, ei facile per nos lice-
bit: ipſi tamen nondum ſatis perſuaderi potui-
mus, ut EPIMENIDEM vera divinandi facul-
tate præditum fuiſſe crederemus. Quanquam
enim nolimus negare, ſingularia eſſe Dei con-
ſilia, & eum etiam inter homines veræ religio-
nis expertes, ſuam majeſtatem ſæpe variis mo-
dis patefeciſſe; neque inficias eamus nobis
omnium omnino mentium humanarum vim
non ſatis eſſe cognitam, ut omnibus in uni-
verſum hujusmodi facultatem denegare quea-
mus: interim cur talem extraordinariam va-
ticinandi virtutem EPIMENIDI vindicaremus,
neceſſarias cauſas haud deprehendimus; cum
& ejus vaticinia, ſiquidem vera fuerunt, quæ
ſupra §. XV. ex aliis Scriptoribus attulimus,
talia videantur, quæ naturali ſagacitati ac pru-
dentiæ, qua ille maxime polluit, haud male ad-
ſcribi queant; & cum ceteræ rationes, inprimis
ſi non tam ſeparentur, quam conjungantur, fa-
cile ſufficiant, cur eum a Paulo PROPHETAM
appellatum fuiſſe credamus. Etenim & Poeta
inſignis fuit, & Sacerdos, & fatidicus paſſim
habitus, & morum doctor egregius, expiatio-
nibusque celebris, ut forte adhuc ea ætate, qua

ſcribebat Paulus inter Cretenſes, κατ' ἐξοχὴν PROPHETA celebraretur.

§. XXXI.

Plura addere nunc minus vacat, nec licet jam ad verſum EPIMENIDIS, quem Paulus allegavit, explicandum, progredi; quanquam in hoc interpretando DN. OLEARIVS, honorifice a nobis appellandus, in erudita Diſſertatione paulo antea citata, ita verſatus ſit, ut vix aliis ſpicilegium reliquiſſe videatur. Ceterum, a Benevolo Lectore veniam precati, ſi expectationi ejus minus ſatisfecimus, DEVM ſupplices veneramur, ut nec hunc laborem prorſus irritum eſſe ſinat.

ΠΑΡΕΡΓΑ.

I. *Judæi æque ac Sociniani Divinitatem Jeſu Chriſti negantes, non verum Deum, ſed idolum colunt, adeoque ſunt idololatræ.*

II. *Si Judæi nomen Dei ſanctum* יהוה *in nominibus propriis compoſitis legunt, ſequitur hinc, quod & extra compoſitionem ſit legibile.*

III. *Viri eruditiſſimi comparati cum fœminis eruditiſſimis, majorem ſemper & ubiq; illi præ his eruditionem poſſidebant.*

IV. *Certa aliqua lingua, quæ homini naturalis ſeu innata ſit, non datur.*

V. *Contra miracula divina nec in exceſſu ea nimis augendo, nec in defectu ea minuendo, peccari debet.*

S. D. G.

DOMINO

M. IOHANNI. GEORGIO

GOTTSCHALCKIO

VERBI. DIVINI

APVD

VRATISLAVIENSES

MINISTRO. VIGILANTISSIMO

NEC. NON

IBIDEM

AD. AEDEM. S. MARIAE. MAGDALENAE

SENIORI. SPECTABILI

PATRI. OPTIMO

INDVLGENTISSIMOQVE

HAS. PAGINAS

SACRAS. ESSE. CVPIT

FIDEIQVE. SVAE. AC. PIETATIS

OB

INNVMERA. ET. PLVS. QVAM. PATERNA

IN. SE. COLLOCATA. BENEFICIA

MONVMENTVM

CONSTITVIT

TVM. ET. EIDEM

A

DEO. TER. OPTVMO. MAXVMO

COMMODAM. SEMPER. VALETVDINEM

VITAM. LONGAEVAM

FELICITATEM. PERENNEM

EA

QVA. DECET. MENTIS. RELIGIONE

APPRECATVR

FILIVS. OBSEQVENTISSIMVS

M. IOHANNES. CASPAR. GOTTSCHALCK